8

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM,

AB ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. JOANNE-FRANCISCO IMBERT, Univerſitatis Cancellario ampliſſimo & Judice, HENRICO HAGUENOT, Decano admodùm Venerando, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, FRANCISCO DE LAMURE, GABRIELE-FRANCISCO VENEL, CAROLO LE ROI, Regis Conſiliariis & Medicis, Profeſſoribus Regiis meritiſſimis

PROPOSITÆ

In Aulâ Epiſcopali Monſpelienſi, coram Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D. FRANCISCO-REGINALDO DE VILLENEUFVE, Monſpelienſium Epiſcopo, Comite Melgorii & Montisferrandi, Marchione Marquerosæ, Barone Salvii, &c. & Regi à Conſiliis Secretioribus

Pro Regiâ Cathedrâ vacante

Per promotionem R. D. JOANNIS-FRANCISCI IMBERT, Profeſſoris Regii clariſſimi ad Cancellariatum dictæ Univerſitatis

Quas Deo favente, & auſpice Dei-parâ, propugnabit in Almâ Monſpelienſi Medicinæ Univerſitate, triduo integro manè & ſerò, diebus ſcilicet 21. 22. & 23. menſis Auguſti anni 1760.

FRANCISCUS VIGAROUS, M. D. M.

MONSPELII,
Apud Viduam JOANNIS MARTEL, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographi. 1760.

DEO
UNI ET TRINO,

AC

BEATÆ VIRGINI
DEI-PARÆ,

D. D. D. C.

FRANCISCUS VIGAROUS, M. D. M.

QUÆSTIO PRIMA.

An theoriæ, an verò praxi medicæ utiliores sint notiones anatomicæ?

RUDIOREM & superficiariam corporis humani anatomem, solâ cadaverum inspectione acquirendam, quæ partium figuram, situm, magnitudinem, nexum nos doceat, tùm theoriæ, tùm praxi medicæ utilem esse imò & necessariam, nemo est qui ambigat. Ast cuinam ex his Medicinæ partibus utilior sit, subtilis solers hæc ars sub hoc felici sæculo adeò exculta, quæ organorum, viscerum, partium quarumcumque intimam structuram, sivè in animalibus, sivè in homine evolvit; singularem illorum fabricam, vasorum ordines, dispositiones, reptatum attentis oculis perlustrat; microscopiis, lenticularibus vitris, injectionibus, variisque utitur mediis quæ felix sibi comparavit Anatomicorùm industria. Circà subtiliorem hanc anatomen moveri quæstionem credimus, quam fausto adeò cum successu promovebant olim Illustrissimi *Malpighius*, *Ruischius*, *Monroo*, aliique, & nostris temporibus adeò illustrant *Winslowius*, *Morgagnius*, *Senacius*, *Ferreinnius*, *Bertinus*, &c. De hâc igitur à nobis quæritur an theoriæ, an praxi medicæ utilior sit?

Anatomicorum laboribus & inventis natales debere Medicinæ theoriam author est *Celsus* (*a*) qui *Erasistratum & Herophilum ex methodicâ sectâ ferè Principes, non solùm cadavera secare, sed & vivorum corpora cultro incidere refert, ut ea quæ natura antè clausisset, etiamnùm spiritu remanente considerarent.* Ex his autem temporibus pari passu & Medicinæ theoria, & anatomes illustratæ, amplificatæ sunt. Etsi fortè quid in œconomiæ ani-

(*a*) Lib. 1. Præf.

malis motibus clariùs perſpicimus, id indefeſſis Anatomicorum laboribus, & feraci induſtriæ debemus.

Quid dicam de circulatione harvæanâ, quæ veræ theoriæ adeò profuit! Quid de anatome comparativâ quâ noverat *Malpighius* ſtructuram humanorum viſcerum ex analogiâ aſſequi; quam felici cum ſucceſſu excoluere pariſienſes Academici (*a*); quâ digeſtionis negotium elucidare potuit clariſſ. *Realmurius*, dùm diverſam eſſe hujuſce functionis rationem pro variâ ventriculi ſtructurâ obſervabat; in animalibus experimenta inſtituebat hujuſce Lycæi Profeſſor illuſtriſſ. dùm reſpirationis & cerebri motuum conſenſum invictè comprobavit! Quid de rariſſimâ *Ruiſchii* arte replendi injectionibus vaſa & quidem minima, ſingularem vaſorum apparatum demonſtrandi! Quid de indefeſſâ *Vieuſſenſii* noſtri induſtriâ in extricandis nervorum ambagibus! Quis *Winſlowii*, *Albini*, *Douglaſii* ſolertiam ſatis unquàm laudabit? *Cùm igitur*, ut cum *Schreibero* loquar, *philoſophari de corpore humano teneatur Medicus theoreticus & perſpectas habere tùm ſanitatis, tùm morborum corporis humani cauſas.* Quomodò phœnomenum ſub hoc duplici ſtatu obſervabilium rationem reddere poterit quorum cauſæ altâ caligine latent? hæc ſolus præſtabit Anatomicus qui lyncæis, ut ità dicam, oculis, partium corporis intimam & ſubtiliorem, quantùm homini licet, fabricam noverit. Quis enim reſpirationis mechaniſmum deſcribere potuit, niſi qui coſtarum articulos, diaphragmatis ſitum, nexum, & ex his pendentia phœnomena apprimè noverant illuſtriſſ. *Winſlowius* (*b*), *Senacius* (*c*)? Quis vocis organum & ex hoc novam illius theoriam condere poterat niſi qui ità laryngis ſtructuram perfectè oculis anatomicis perluſtrare potuit, experimenta inſtituere ſolertiſſimus in his *Ferreinius*? Cui digeſtionis prima organa, horum varios motus quæ tantam in maſticationis opere lucem affuderunt ità graphicè exprimere datum eſt. Solus deniquè potuit *Albinus* deglutitionis cauſas, phœnomena explorare qui organorum deglutitoriorum ſitus, nexum, linguæ excavatæ fornici palati apice ſuo applicatæ, retroactæ motus, veli palatini deorsùm tracti elevationem, glottidis ſuperioris per epiglottidem obturationem, rimulæ illius, aritænoideorum ope, coarctationem, pharingis & æſophagi varios motus, aliaque exactiùs quidem delineavit. Quid plura proferam? Theoriæ priora fundamenta jecit anatomes; hanc novis quotidiè inventis, illuſtrat, promovet.

Praxi medicæ minùs certè utilis videtur ſubtilior hæc variarum corporis partium diſquiſitio. 1°. Quod etſi veram illarum fabricam oculis ſubjiceret, parùm fortè emolumenti praxi medicæ emergeret. Quid

(*a*) Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire naturelle des Animaux.
(*b*) Expoſition anatomique.
(*c*) Mém. de l'Acad. R. des Sc. an. 1729.

enim

enim in inflammatione jecoris, Clinicis de morbi diagnosi sollicitis interest, an glandulosum sit hepar, an verò vasculorum minutissimorum penicillis conflatum? Quid certi protulit adhùc anatomia circà causas variorum phœnomenum quibus stipantur vulnera aliique capitis affectus? 2°. Morbi causas proximas mutare potuit, Anatomicis inventis illustrata, theoria; alias phœnomenum rationes inquirere; morborum signa diagnostica, prognostica, therapeïæ præcepta generalia intacta semper remanebunt. 3°. Solâ observatione & experientiâ edocti, morbos inflammatorios, varias febrium species, cæterosque morbos dignoscere, sanare noverant veteres. Ità signorum doctrinâ, morborum tempora, mutationes, solutiones, subtiliori anatomiæ prorsùs extranea, solâ observatione facem præ se ferente, prædicabant; ut & praxis nostræ vera sit cynosura antiquorum sagacitas.

Nec tamen ex hoc quis concludat praxi clinicæ inutilem prorsùs esse anatomes scientiam; *ista enim naturæ rerum contemplatio*, ut cum *Celso* loquar, *quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen Medicinæ reddit.* Quot enim in morbis observantur anomaliæ, insolita symptomata, quorum causæ omnem Clinicorum doctrinam deludunt, Anatomicorum perspicaciam vix unquàm effugiant; partium putà interiorum organica vitia. Et in externis morbis curandis quem unquàm inveniet parem Clinicus Anatomicus. *Winslowum* Anatomicorum ferè Principem, fama fert, hâc quâ pollebat sagacitate, solo tactu judice, aut repetitâ contrectatione, partium interiorum labem potuisse detegere.

Nec me latet quantum boni praxi medicæ præstaret cadaverum sectio, à Clinicis instituta nulli theoriæ addictis, à præjudicatâ opinione liberis, solo observandi & naturam investigandi desiderio; sed quàm facilè sub hâc operatione se subripit error, dùm ea quæ mortem intulit labes, morbi causa habetur! Sic, v. g. sectis cadaveribus maculas gangrænodeas viscera quandoquè infestare notum est. Quis autem ex hoc concludat gangrænam morbi causam fuisse? Non mirum igitur si ex millenis casibus quæ multo molimine in Medicinæ monumentis cumulavit observatorum chorus, pauci quidem sint, nemine refragante, qui hanc diligentiam sapiant qualem verum artis clinicæ cultorem decet. Ex his intelligitur quo sensu,

Theoriæ utiliores innuamus notiones anatomicas, minùs verò praxi medicæ utiles.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sentiendum sit de opinionibus Malpighianâ & Ruischianâ, circà structuram viscerum, & cui ex illis percelebribus Anatomicis palma debetur?

Celebris est inter Anatomicos malpighiana & ruischiana controversia, circà structuram viscerum. Prò utrâque observationibus, experimentis militant Anatomici oculatissimi. Adhùc tamen sub judice lis est. Quid autem de hâc sentiendum sit, ex dicendis fortè innotescet.

Viscera glandulosa credidit antiquitas conflari vasis innumeris, quæ singula ordinaret, firmaret proprium cuique visceri parenchyma. *Malpighius* primus videtur, qui ex professo, oculis anatomicis, in intimos viscerum anfractus penetraverit. Ex his autem quæ circà viscerum structuram protulit in suis exercitationibus anatomicis, hæc colligere licet. 1°. Summum huncce virum agnoscere viscera glandulosa; hepar, v. g. renes, cerebrum, glandulosum præ se ferre apparatum. De hepate enim hæc habet (*a*). *Hoc autem innumeris ferè glandulis, velut tot uvæ acinis, integrari habui, quibus sanguinea vasa, venæ scilicet portæ, & cavæ extremi fines, arteria, & porus biliarius tanquàm proprium excretorium vas appendantur, in gratiam separationis bilis.*

Ruischius èconträ, glandulosa corpora è viscerum structurâ expungens, hæc conflata exhibet innumeris vasculorum glomeribus qui in singulis organis diversum obtinent apparatum; in hepate penicillorum instar colliguntur in fasciculos (*b*); in renibus mirè contorta observantur (*c*); in cerebro pulpam tomentosam (*d*) repræsentant; in testibus sub glomeris specie circnmvoluta cernuntur; ex vasculorum ultimis ramulis secretorii nascuntur tubuli qui tandèm, absque intermedio folliculo, humores ad varia loca devehunt.

Malpighianæ favet sententiæ anatomes comparativa. In cochleis observabat *Malpighius* (*e*) hepar in plures eosque conicos divisum lobulos, qui ipsi microscopii ope in acinos, proprio distinctos termino, apparebant. In lacertis, piscibus, eamdem observabat fabricam. In sciuro,

(*a*) Oper. posth. De viscerum struct.
(*b*) Thes. anat. I. n. 7.
(*c*) Thes. X. n. 86.
(*d*) Thes. anat. x. n. 31.
(*e*) Tract. de hepate.

mure montano, tigridè, leænâ aliisque, evidens est glandulosa fabrica ex parisiensium Academicorum observationibus (*a*); & tandem de hepate humano loquens (*b*), diluto sanguine immissâ aquâ, jecoris omnem substantiam lobulis contextam conspicias, qui & ipsi acinis conflantur; hæc autem confirmat celeberr. vir, *Harvæi* observatione (*c*) qui jecoris parenchyma vasis umbilicalibus accrescere vidit, ut uvæ racemo. Prò *Malpighio* pariter militat celebris *Littrii* observatio (*d*) qui in hepate humano aliundè sano, glandulosos folliculos ità evidenter observabat, ut absquè microscopio, arteriarum extrema, venarum portæ & cavæ ramusculi truncis suis appensi, & porus biliariique ductus in conspectum venirent.

Hanc fabricam testantur glandularum morbi. Hepar in vesiculas, tubercula, hydatides conversum sæpiùs reperire est. *Saltzmannum*, *Forestum*, *Glissonium*, *Panarolium*, aliosque post *Malpighium* (*e*) recenset *Boerhavius* (*f*) similem in hepate degenerationem testantes. *Valsalvæ* observationes refert *Morgagn.* (*g*) quibus constat, repertas haud semel fuisse vesiculas membraneas, vel totum jecur vel ejus partem efficientes, cùm evidenti aliquo inter venæ cavæ ramusculos harumque vesicularum caveam commercio; nec sine contento humore bilis simillimo. Hùc facit *Nannii* observatio. [*V. inf.*] Hepar in hydatides conversum in cadavere hidropici, alibi in vesiculas, limosâ vel glandulosâ materie turgidas exhibet *Ruisch.* (*h*). Et quidem observant quotidiè qui cadaverum sectionibus manum admovent, hepar sæpissimè oppleri tuberculis nunc gypseâ quasi & lapideâ, nunc mucosâ aut simili materie turgentibus. De aliis visceribus eadem observant quotidiè Practici. Cerebrum in hydrocephalico distinctissimas exhibere glandulas, autor est *Mangetus*. Renem observabat *Littrius* [*Ibid.*] in tubercula variæ magnitudinis elevatum, quæ cellulas membranosas æmulabantur. Plura videre est apud *Malpighium*, *Boerhavium*, ipsumque *Ruisch.* locis citatis.

Fictitiam esse glandularum in visceribus præsentiam asserit *Ruischius* (*h*): injectionibus enim illam noverat methodum implendi vasa, repleta à mutuo nexu solvendi, sic parata in proprio liquore servandi; ut hoc solo argumento rem totam conficere velit, *veni*, *& vide*, intimam viscerum fabricam oculis ipsis subjiciens. 1°. Enim corticem cerebri

(*a*) Mém. pour servir à l'Histoire naturelle des Animaux.
(*b*) Tract. de hepate, cap 11.
(*b*) Exercit. xix.
(*c*) Mém. de l'Acad. 1701.
(*e*) Tract. de hepate.
(*f*) Epist. ad Ruisch.
(*g*) Epist. anat. 3.
(*h*) Epistola ad Boerha. & passim in suis operibus.

exhibet (*a*), cujus vaſcula tomentoſa lanugine ſubtiliora in liquore diſſoluta & ſuſpenſa, abſquè ullo certè glanduloſo apparatu. 2°. Hepatis fruſtula (*b*), mirabili ſuâ arte repleta ſervat, quæ vaſculorum faſciculos exhibent quibus continui ſunt pori biliarii, abſque ullâ intermedii folliculi, utriculi, aut acini cavi ſuſpicione. 3°. Variis in locis (*c*) renes humanos oſtendit, in quibus corpuſcula quæ prò veris glandulis vulgò habentur, nihil eſſe aliud quàm vaſculorum extrema, mirificè inter ſe contorta & circumvoluta, quæ cùm exactiſſimè repleantur arteriæ renales, diſſolvuntur, vel expanduntur ut fili glomer. In epiſtolâ autem ad *Boerhavium*, *Malpighii* argumenta evertere ſatagit; ſtatuens ex anatome comparativâ, nihil concludi in corporis humani fabricæ gratiam; glandularum morbos, nativam illarum mutare fabricam; Vaſorùm extrema obſtructa, liquore immeabili infarcta, & ipſa in tubercula, hydatides, tumores poſſe elevari, quæ & exemplis plurimis confirmat.

Quid autem de his opinionibus ſentiendum eſt? cui palma debetur? Circà corticis cerebri ſtructuram dubiùs hæret *Bohlius* (*d*) qui *Ruiſchii* arte præparata viſcera, attentis oculis, perluſtraverat; *Malpighii* tamen partes amplectitur, in quo conſentientem habet *Winſlowum* (*e*) qui folliculos extremis vaſculorum cerebri appenſos agnoſcit, infidam injectionis methodum rejiciens.

Hepatis glanduloſam fabricam ſuadent anatomes comparativa, *Littrii*, *Valſalvæ* & maximè *Nannii* obſervatio (*f*), qui mulieris hepar deſcribit in lobos ſciſſum, tuberculis veſicularibus compoſitos diverſæ magnitudinis, in quibus bilioſus humor nùnc tenuior, nùnc tenacior, prò utriculi magnitudine continebatur. Eadem cenſent celeb. *Morgagni* (*g*), *Winſlow*, (*h*) *Fantonus* (*i*). Renibus & vaſculoſum, & glanduloſum apparatum concedunt *Boerhavius*, *Bertinus* (*k*). In liene malpighianam fabricam poſt plura experimenta reſtituit clariſſ. *Laſone* (*l*). Vaſculoſam teſticulis tribuunt cum *Graaffio* (*m*), *Winſlow*. (*n*), *Ferrein*. (*o*), aliique.

(*a*) Epiſt. XII. & Theſaur. anatom. paſſim.
(*b*) Id. paſſim aſt maximè theſ. IX. n. LIX.
(*c*) Pluribus in locis ſed expreſſiùs theſ. III. n. XLI. & theſ. X. II. 84. 86.
(*d*) Diſſert. Epiſt. ad Ruiſc.
(*e*) Traité de la tête, à n. 185. ad 90.
(*f*) Comment. acad. Bonon. I.
(*g*) Epiſt. anatom. III.
(*h*) Traité du bas-ventre, n. 272 & 276. & à 285 ad 288.
(*i*) Diſſert. anatom. de hepate.
(*k*) Mém. de l'Acad. 1744.
(*l*) Mém. de l'Aad. 1754.
(*m*) De vir. organ.
(*n*) Traité du bas-ventre, n. 487.
(*o*) Mém. de l'Acad. 1749.

His

His obſervationibus & authoritatibus ſuffulti, dicimus magis probabilem nobis videri malpighianam ſententiam. Hanc tamen amplecti vetant, nova *Ferreinii* circà viſcerum ſtructuram detecta. Hic enim peritiſſimus vir corticalem renum ſubſtantiam & hepar conflari aſſerit, ſubſtantiâ quadam alba, tenui, tubulis intrà parenchima contortis & circumvolutis compaginatâ abſquè ullo ordine, nivis aut goſſipii flocculis ſatis ſimili, intrà quàm evaneſcunt arteriarum ramuſculi, ſecretionis vaſcula. Huic autem ſententiæ, quàm fortè ex Hippocrate mutuatam credimus, adſtipulamur ſaltem quoàd hepatis & renum ſtructuram. Ex his omnibus facilè intelligitur

Quid ſentiendum ſit de opinionibus malpighiana & ruiſchiana circà ſtructuram viſcerum, & cui ex illis percelebribus Anatomicis palma debeatur.

QUESTIO TERTIA.

Explicare modum quo terminari ſolent tumores tùm à ſolidis tùm à fluidis; afferre eorum terminationis ſigna diagnoſtica, prognoſtica, ſimùlque auxilia quibus illis occurendum eſt, pro vario modo quo terminantur.

Quæcumque corporis partis contra naturam elevatio, Tumor Medico-Chirurgis dicitur.

Tumores autem à ſolidis fiunt, vel à fluidis. Ad priorem claſſem reducimus (juxtà Prof. Illuſtriſſ. mentem) luxationes & hernias; in poſteriorum cenſum annumerandi veniunt tumores, vulgò dicti humorales, qui ſanguinei ſunt vel calidi, ut phlegmone, eriſipelas aliique hujuſmodi; vel lymphatici ſeù ſeroſi, ut ſchirrus, œdema, hiſque pertinentia. Tumorum naturam, cauſas, ſigna ſilentio premam; (a) varios tantùm terminationis modos, ſigna, auxilia deſcribere jubet Prof. Illuſtr. Ut autem ſingulis faciam ſatis ſit.

1o. Luxatio fieri dicitur, quoties oſſa quæ naturaliter juncta ſunt, à contigui nexu ſolvuntur. Factâ luxatione, tumor ad articuli latera enaſcitur, ſolâ oſſis in ſitu naturali repoſitione ſanandus. Hæc autem præcipua poſt ſe trahit mala; 1o. Inflammatio, cum dolore à muſculis vel nervis diſtractis, vexatis, colliſis, quæ ſæpiùs, invitis auxiliis, in ſuppuratum abit. 2o. Membri accurtatio, aut elongatio cum diſformitate; Callus, ſeù oſſis luxati cum viciris accretio. 3o. Partis immobilitas ſtupor,

(a) De his vid. egr. tract. de tum. D. D. Cancell. Ampliſſ.

quandoquè deliria, convulsiones; imò & paralysis, si nimiùm comprimantur nervi huic famulantes; vel marasmus, aut gangræna, si compressis arteriis penitùs denegetur sanguini aditus.

Sanatur primum venæ sectionibus, topicis emollientibus, anodinis, & tandem ossis repositione, (modò nihil obstet). Secundum solâ partis repositione curabis; medelam autem rarissimè accipit tumor qui ab osse luxato, vicinis firmiùs accreto, fit; non intentata tamen prætermiseris varia emollientia, quæ in hoc casu commendantur. Tertium citam expostulat Medicinam; hìnc illicò tentanda, omni artis molimine, ossis luxati repositio. Si immineat gangræna, antisepticis avertenda est (de his inferiùs). Tandem si nec Chirurgi industriæ, nec medicaminum efficaciæ cedat, unicum in membri amputatione habes præsidium.

2°. Partis cujuscumque mollis à situ suo dimotæ tumor, HERNIAM vocat celeberrimus *Ledran*. Loca abdominalia maximè occupant herniæ: hinc prò varia illius regionis parte, prò variis quæ ex his dilabuntur visceribus, diversis quoquè nominibus donantur herniæ. De singulis disserere vetant harum, penè dicam, infinitus numerus, temporis angustiæ. Generaliùs tantùm quædam proferam, circà modum quo terminari solet bubonocele, sivè sit epiplocele vel enterocele, aut entero-epiplocele, & auxilia quibus possunt præcaveri; frequentiores enim sunt hæ species.

EPIPLOCELE hernia omentalis, sibi quandoquè adscivit mala hæc; accrescit, nisi reponatur, annullari foramini, parietibus sacci herniarii, hæc dilatat; hinc, vel minimô nisu, in entero-epiplocelem mutandus, multò certè periculosiorem. Omento his accretô, dejicitur quandoquè ventriculus; hinc dolor sub digestione, vomitus ferè continuus (*a*) hoc intrà saccum compressô imminent inflammatio, suppuratio, gangræna.

ENTEROCELEM seù herniam intestinalem, gravissima minantur symptomata; intestini agglutinatio & annulis abdominalibus & sacco; hinc difficilis, imò & sæpè impossibilis repositio, major compressionis (*étranglement*) metus, quam pressô pede sequitur inflammatio, gangræna, intestini ruptura, quam, decem tantùm elapsis horis, cum morte accidisse observavit cum *Cajetano Taccono* (*b*), & *Meryo* (*c*) Egreg. Antag. Sub inflammatione autem dolor vehemens, vomitus molestissimus, sæpiùs stercorosus, anxietates vix tolerandæ ægrum discruciant; gangrænam verò prænuntiant frigus extremorum, facies hippocratica, pulsus parvus, compressus cum sudoribus frigidis, doloris absentia, lypothimiæ.

ENTERO-EPIPLOCELE hernia omento-intestinalis, minùs habet peri-

(*a*) Ledran, Platner, aliique, de epiplocele.
(*b*) Recueil de Theses. Superstite ægro apud Taconum.
(*c*) Collect. d'Haller. tom. 5.

culi; cave tamen ne comprimatur, vexetur, collidatur. Tumoris ab epiplocele pericula præcavebis, omenti in ſuo ſitu repoſitione, & apta quâ contineatur deligatione. Imminens tumoris inflammatio, aut, jàm factâ inflammatione ſuppuratio, omni artis molimine avertenda eſt. Quæ ſi factæ fuerint, eâdem methodo his occurendum, quâ tumoribus phlegmonodeis. (*Vide infrà*).

ENTEROCELES reductio, ſimùlque methodica deligatio, ſartum tectumq. ſervant ægrum à ſyptomatum jàm memorata ſindrome. Hôc autem inflammato, venæ ſectionibus, repercutientibus, diſcutienda, ſi fieri poſſit, inflammatio, ut *taxi* reſtituatur prolapſa inteſtini pars. His incaſsùm adhibitis, ad operationem tanquàm ad ſacram anchoram confugiendum eſt; quâ ritè inſtituta, ſedatis ſymptomatibus, in abdomen reducatur inteſtinum. Nec ab hac te deterreant gangrænæ metus, virium imbecillitas; namque & ſub his circumſtantiis fauſtum & nos illius operationis vidimus exitum, ſuadentibus Illuſtriſſ. D. D. *de Lamure*, & hujuſce Civitatis Chirurgis præſtantiſſimis (*a*).

Iiſdem auxiliis entero-epiploceli occurendum eſt prò variis circumſtantiis. Hermiarum ſacci lacrymalis, ventriculi, veſicæ (*b*) incommoda præcavebis, aptis deligationibus.

Quæritur 2°. Quinam ſint tumorum qui à fluidis fiunt, termini, eorum ſigna, & auxilia?

Si ex calidorum genere ſit tumor, reſolutione, ſuppuratione & gangræna (*c*) terminari ſolet, vel induratione. Reſolutione terminari phlegmonem judicabis, ſi mitefcere incipiant ſymptomata, cum pruritûs ſenſu decreſcat tumor jàm factus mollior. Solvitur enim tùm veroſimiliter impactus ſanguis & viam circulationis ſequitur, ſivè in extremis vaſorum ſanguiferorum hæreat, ſivè in vaſa lymphatica, errore loci, deviaverit; qui finis, quia valdè eſt optandus, omni arte promoveri debet, venæ ſectionibus, cautâ tamen manu inſtitutis, topicis reſolventibus, quæ, prò variis caſibus, vel emollientia ſint vel ſtimulantia. In his caſibus mira præſtat Extractum ſaturni D. D. *Goulard*.

Si his invitis exaſperentur ſymptomata, de ſuppuratione eſto ſollicitus, quam levis præcedit horror, intenſior febris, donec vi vitæ ſoluta vaſculorum extrema, humore immeabili infarcta, in verum pus faceſſcant. Tunc in acumen elevatur tumor, mollis fit, ſubalbidus, aut lividus; loco doloris pulſatilis, perſentitur in parte gravitas. Hanc juvant medicamenta ex ſuppurantium familia, ſub forma cataplaſmatis aut emplaſtri, parti applicata, non prætermiſſis auxiliis generalibus,

(*a*) *Serres*, *Bourquenod*, *Meian*, & *Vigarous* qui operationem inſtituebat, maculas plures lividas, verè gangrænodeas, nobiſcum obſervabant. Intrà 20 dies convaluit æger.

(*b*) Vid. act. Acad. Chir. Paris. paſſim.

(*c*) De his vid. tract. de tum. mox. cit.

nec intentatâ resolutione; pus factum illicò educendum, nè intrà textum cellularem sinus & fistulas cudat. Igitur exitus puri conciliandus, aut ferro, quod tutius est, aut causticis, factâ, in parte abcessûs decliviori, incisione. Singulis dein aut alternis diebus, detergendum vulnus, usquè dùm cicatrice æquabili, levi obducatur.

Si gravior urgeat inflammatio, cave à gangrænâ; quam, nisi omni artis molimine arceas, pressô pede sequitur sphacelus; calor mordax, & quasi deurens, intensus & obscurus tumoris rubor, febris vehemens cum aliis inflammationis signis, hanc prænuntiant. Tandem mollis fit tumor, sedantur symptomata; ast superveniunt sincopes, efflorescunt suprà cutem maculæ lividæ, nigræ, in vesiculas ichore flavo ut plurimum turgidas elevatur epidermis, sola remanet in parte gravitas, nè ullô quidem sensu superstitè.

Gangræna generali præcavetur quandoquè inflammationis therapeiâ, antisepticorum usu. Si facta sit, ad vivum usquè, jubente *Celso*, incidenda est. Mira in hoc casu præstat cortex peruvianus, quod & propriâ experientia & nos comprobavimus, sivè intùs debitâ dosi adhibeatur, sivè ejus decocto foveatur pars; non tamen omissis validioribus antisepticis, quibus cum successu maritari potest.

Resolutione sæpiùs terminatur erysipelas & desquamatione. Si suppuret in ulcus convertitur. Iisdem fermè mediis huic succurendum est.

Induratio eadem habet signa, eadem auxilia ac schirrus qui inter tumores frigidos primas tenet cum œdemate. Hi autem varium obtinent terminum. 1o. Schirrus tumor glandulosus, durus, indolens, cuti concolor, in cancrum, horrendum quidèm malum, quandoquè abit, ultimam post se trahit perniciem. Quamdiù tamen absquè dolore est, periculo vacat schirrus; aliquandò, sed rariùs, resolvitur. Topica ferè nunquàm admittit, à stimulantibus, acribus exasperatur. Plerumquè invitis his cautelis, nunc lentiùs, nunc velociùs intumescit, altas radices agens, maximè si peculiaris labes fluida infestet. Inflammatur cùm sensu doloris nunc obscuri, mox deurentis; vasis varicosis tumet; eroditur tandem & sæpè cum hæmorragia, in ulcus convertitur fetidum, saniosum ichorem fundens; fit cancer difficilè topicis avertendus. Mira tamen in his sanandis præstare mercurium dulcem, ipsumque sublimatum, parcâ & cautissimâ manu exhibitum, Author est *Clessius* (*a*). De solano furioso stupenda refert *Alberti* (*b*) qui in cancro occulto, belladonæ foliorum decoctum, tanquàm specificum commendat. Plures sanasse D. D. *Storck* Medicum viennensem legimus in diario Medico, (*c*) longô sed parciori usu extracti cicutæ majoris; plures aquis barregianis narrante (*d*) peritissimo D. D. *Bordeu*. Quantum autem in his casibus præstent

(*a*) Thes. inaugur.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Juin 1760.
(*d*) Ibidem Février 1760.

tent lacticinia, balnea, cæteraque his analoga auxilia, propriâ experientiâ comprobant, feliciſſimi practici (*a*). Hanc igitur ſuademus therapeiam, donec, iteratâ experientiâ, apud cordatos conſtiterit de ſpecifici cujuſdam efficacia.

Œdema tumor lymphaticus mollis, digito cedens, lentiùs ſeſe reſtituens, reſolutione faciliùs, & frequentiùs terminatur, modò alterius morbi non ſit ſoboles. Œdema reſolvi cognoſces tumoris imminutione cutis corrugatione, coloris naturalis reſtitutione. Promovetur topicis ſtimulantibus, maximè reſolventibus, quæ vaſa ſtimulant, tonum, elaſticitatem reſtituunt.

Hæc prò aliis dicta ſint tumoribus, nè in infinitum creſcat hæc diſſertatio. Ex his autem videtur poſſe explicari.

Modus quo terminari ſolent tumores tùm à ſolidis tùm à fluidis, afferre eorum terminationis ſigna diagnoſtica, prognoſtica; ſimulquè auxilia, quibus illis occurendum eſt prò vario modo quo terminantur.

QUÆSTIO QUARTA.

Medicamentorum facultates & agendi modum exponere.

Medicamentum id omne dicitur, quod intùs aſſumptum aut extùs applicatum, depravatas corporis diſpoſitiones in melius mutat.

Sub evacuantium & alterantium genericâ & vulgatiori diviſione diſtinguenda veniunt medicamenta. Prò vario autem modo quo actionem ſuam exerunt, prima dicuntur, emetica purgantia, diuretica, &c. pro ut varias haſce, ſub ſenſibili formâ evacuationes ciènt. Alterantium claſſim conſtituunt, tonica, laxantia, anodyna, adſtringentia, aliaque hujus familiæ quæ apud materiei medicæ Autores, ulteriùs diviſa fusiùs recenſentur. De his quæritur, quænam ſunt illorum facultates; quis agendi modus?

Solam Medico ſufficere medicaminum cognitionem hiſtoricam, quæ effectuum, ſub diverſis circumſtantiis, conſtantiam, adminiſtrationis leges & regulas therapeuticas, ſub variis morbi temporibus, prout hæc

(*a*) Vide Ledrán trait. d'opérations.

comprobavit fidelis & sæpiùs iterata, cum eodem successu, experientia; hanc inquam, empiricam therapeiam, sensuum testimoniô fultam, quam quotidiè novis inventis illustrat, promovet observatio, certissimam, tutissimam, therapeiæ rationali ex omni parte anteponendam methodum volunt Hippocraticæ Medicinæ addicti Clinici. Effectuum rationem habere, abditarum rerum causas, medicaminum principia, vires, à priori detegere amant Methodici.

Ex hoc philosophandi studio, tot extant circà medicaminum vires theoriæ, quot Methodicorum sectæ. Medicamenta cum *Galeno* distinxit *Wedelius* (*a*) in calida, frigida, humida, sicca; & pro vario harumce qualitatum prædominio, varias quoque admittit in facultate proportiones, symmettrias seu gradus. Hæc autem primis qualitatibus agere medicamenta dicebat. Extrinsecam medicaminum compagem, ex particularum & pororum dispositione cujus indices essent raritas, densitas, tenuitas, mollities, durities, &c. Ratione ponderis, contactûs, consistentiæ, ad qualitates secundas referebat. Colorem, saporem, odorem & nostris temporibus ad medicaminum facultates detegendas conferre, videtur subinnuere Cel. *Hoffmannus* (*b*). Qualitates tertii ordinis vocat *Wedelius*.

Qualitates autem medicaminum manifestæ vel ocultæ erant, prout evidenti aut incognitâ actione vim suam exerebant; ista specifica divina vocavere.

Neotericorum plures ex figurâ, mole, duritie, asperitate particularum insensibilium & secundarum, medicaminum facultates enodare satagunt. Alii autem ex observatione effectuum, quos in sanguine vel è venis educto, vel intrà vasa sua coercito, in animalibus viventibus præstant medicamina. Ne tamen his quæsiveris quâre hæc ità fiant.

Certior, simplicior nobis videtur empirica medicaminum pharmacologia. Hanc quotidiè illustrat recentiorum Chimicorum indefessa sagacitas quæ methodo Bolducianâ (*c*) medicaminum compositionem rimatur; vel novâ, simpliciori, perfectiori methodo nuperrimè ab Illustrissimo *Venel* in actis Acad. Paris. consignata (*d*), quâ in evolvendis vegetabilium principiis, felici adeò cum successu usus est, Proff. ille Celeberr. Hâc medicaminum facultates, per eorum principia constitutiva cognoscere datum est, non ea quæ elementaria mixtorum rudimenta constituunt; nec enim ad Medici scopum quidquam præstare videtur, omne forsàn eludens ar-

(*a*) Lib. 10. sect. 1. cap. 1. de princ. agendi.
(*b*) Tom. 1. sect. 11. cap. 111. de medicam. viribus & causis.
(*c*) Mém. de l'Acad. 1734.
(*d*) Mém. de Physiq. & de Mathem. tom. 2.

tificium, talis disquisitio. His fortè subsidiis quandoquè licebit veras medicaminum facultates explicare.

Circà medicaminum agendi modum, ingeniosam, sanioris physices legibus congruam theoriam adornavit Illustriss. *De Sauvages*; quâ, iteratis experimentis comprobatâ singulorum viscerum gravitate specificâ, ex adhæsionis legibus statuit, medicamentum ideò in hoc præcipuè organon vim suam exerere, quod gravitatis specificæ familiaritate, magis huic sit affine; rem ferè acu tetigisse videtur in hâc subtili disquisitione, prælaudatus Autor.

Cuique visceri certum sensibilitatis & appetitûs gradum tribuunt experimenta, demonstrat observatio. Oleum oculo affusum, dolores acerrimos excitat; cantharides vias urinarias; aloëtica uterinas, &c. mercurialia ferè semper glandulas oris afficiunt; emetica vomitum cient, cathartica alvi fluxum; quid plura? Singula autem vel minimè cætera movent organa. An igitur hæc peculiaris organorum actio *archæi Helmontiani æmula* facultatem medicamenti specificatam arguit?

Desunt experimenta & observationes, quæ duo hæc pharmacologiæ empiricæ, qualem admittimus, puncta satis illustrent. Difficillimum ergò nobis videtur & penè dicam impossibile.

Explicare facultates medicaminum, eorumque agendi modum.

QUÆSTIO QUINTA.

Quibus morbis hactenùs & quomodo opitulata sit electrisatio.

Missis electricitatis historiâ, phœnomenis, legibus, quæ cognita supponit proposita quæstio, assignandi, 1°. Veniunt morbi quos hucusquè, historiæ fide, per electrisationem sanatos novimus. 2°. Modus quo opitulatur hæc operatio.

Electrisationem, morborum maximè qui in nervis insident, optimam, efficacissimam esse Medicinam, fidem faciunt observationes. Ex millenis enim, quos apud varios authores collegimus, penè dicam omnes, ad paralytodeos, ad spasmodicos, vel ad dolorificos referri posse videntur hi morbi.

Ex Morbis Paralytodeis mira perhibet Illustriss. *De*

Sauvages (*a*) de hemiplegia per electriſationem curata. Quia autem experimenta hæc, ſub oculis noſtris quaſi inſtituta ſunt, mirantibus hujuſcè urbis viris clariſſimis, liceat prætermittere. Duas hemiplegias epilepticas, hemiplegiam à crapulâ, hemiplegias inveteratas, electriſatione ſanatas legimus, apud Clariſſ. *Veratti* (*b*). Singularem pertinacem paralyſim, multo electriſationis molimine, tandem ſanavit, Illuſtriſſ. *Jallabert* (*c*). Paralyſi, cùm oculi ſiniſtri occæcatione, & mutitate, electriſationibus finem fecit *Lindhult* (vid. diar. Stockolm ni fall); ſurditati (idem) amauroſi *Quelmatz* (*d*); mutitati, *De Sauvages* (*e*) loquendi difficultati (*f*); innumera alia quid referam, apud obſervatores fuſiùs legenda.

Ex MORBIS SPASMODICIS, contracturam, epilepſiam, poſt electriſationem evanida, legimus (*g*).

Ex MORBIS DOLORIFICIS, quot ſub primis electriſationibus ſolatium habuere & ſalutem, plures caſus refert Illuſtr. Prof. (*h*). Cephalalgiam, articulorum, muſculorum dolores varios, [ibid.] odontalgias, otalgias (*i*), ſæpiùs ſanavit electricitas. Teſticuli dolor, ſub cœlo humido recrudeſcens, à ſuppreſsâ gonorrhœâ, poſt electriſationem inopinatò evanuit [ibid.]; ex his videtur concludi poſſe, electriſationem, efficaciſſimam, adversùs nervorum morbos potiſſimùm, præbere Medicinam.

Nec tamen nos latet, & in aliis, [ſic in morbis à cohibitâ perſpiratione], fuiſſe utiliſſimam. Tumorem cum herpete ſanatum, memorat *Verratti* [l. c.]. Capitis dolores ab epiphorâ [ibid.]; perniones (*k*). febrem quartanam, *Lindhult* [l. c.]. Aſt quia in nervorum affectibus, magis conſtans obſervatur electriſationis efficacia, maximè ſi ab *atoniâ*, & humorum immeabilitate, pendeant; ſtat aſſertio.

Quoad ſecundum, modum ſcilicet, quo effectus ſuos ſortitur electriſatio, ſufficienter explicant 1o. Enumeratio phœnomenum, quæ ſub ipsâ operatione obſervantur. Calor enim in corpore augetur, intumeſcit electriſata pars, arteriæ pulſant vividiùs, frequentiùs [renuenti-

(*a*) Haller diſp. morb. tom. 1. Theſis Monſp. propugn. 1749. In quâ electriſationis vites. variaſque methodos, deſcribit Prof. Illuſtriſſ. lett. à M. Bruhier, & Journal œconom. fev. 1752.

(*b*) Obſerv. Phyſi-medicales, ſur l'Electricité.

(*c*) Expérience ſur l'Electricité.

(*d*) Haller *ibid.*

(*e*) Journ. *ibid.*

(*f*) Mem. de l'Acad. de Stockolm 1753.

(*g*) Mem. de Stockolm, Journal œconom.

(*h*) *Ibid.* Pivatti, lett. ſur l'Electri. veram arthritidem, ſanavit.

(*i*) Mem. de Stockolm.

(k) *Ibid.* Et Jallabert, lib. cit. aliique.

bus

tibus (*a*) D. D. *Morand, Nollet*), ſudoribus diffluit corpus; ſolidæ corporis partes ſenſibiliter, quaſi ſtimulô adacto, convelluntur. Hæc præcipua ſunt. 2°. Morborum electriſatione ſanatorum natura, *atonia* ſcilicet ſolidorum, lymphæ viſciditas, inertia. 3°. Hujuſce operationis, ſub datis circumſtantiis, effectus; veroſimillimum videtur materiem electricam, quæ ex Phyſicis velociſſima, volatiliſſima, penetrantiſſima obſervatur, in corpus admiſſam, arteriarum oſcillationes adaugere, quibus lympha fit fluxilior; nervos ſtimulare, ac fluidi nervei vel electrici motum, reſeratis obſtructionibus, reſtituere. Hanc rem confirmant, ſub ipsâ obſervatione, operata phœnomena. Medicamentoſam facultatem fluido electrico, ſub ipsâ operatione, dabat Clariſſ. *Pivati* (*b*), cylindros, variis intùs ungens medicaminibus. Sic cylindros catharticos, diureticos, &c. ſibi comparaverat [*Vid. loc. citat.*] ex his habetur.

Quibus morbis hactenùs, & quomodò opitulata ſit electriſatio.

QUÆSTIO SEXTA.

Quænam ſint in diverſis morbis, diverſæ corporis poſituræ commoda, & præſagia indè eruenda?

A Naturali corporis conſuetudine quandoquè deflectere, bonum eſt. In diverſis enim morbis, 1°. Summa ſæpiùs ægris præſtant commoda, inaſſuetæ poſituræ; 2°. Medicis quandoquè exhibent certa præſagia. De his ſigillatim.

Circà primum, pathologiæ methodicæ exactiſſimam morborum diviſionem perluſtrans, annotabo, quantùm licebit, peculiares poſituras variis morbis utiles. Igitur,

In morbis superficiariis. Herniæ potiſſimùm ſingulares, corporis poſituras amant. Supinum jacere flexis genubus ægrum, natibus paulò elatis, ſuadent Medico-Chirurgi ut, laxatis muſculis abdominalibus, minor parti elapſæ fiat reſiſtentia. Ventriculi herniam, ad minimum motum denuò erumpentem, habet *Garengeot* (*c*); de inteſtinali

(*a*) Mém. de l'Acad. 1749.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Mém. de l'Academie de Chirurgie, tom. 1.

bus (*a*), omentalibus, maximè si recens factæ sint, quantùm prosit decubitus horizontalis, nota rest est. In cystocele, sub variis circumstantiis, lumborum aut scroti elevationem suadet *Verdierus* (*b*), ut faciliùs urina ejiciatur. Tumor ab uteri, vaginæ procidentia (*c*), evanescit diuturnô decubitu. Quid de fracturis, luxationibus, musculorum aut tendinum transversis vulneribus, quæ sola sanat, artificiosis membri flexuris, chirurgia? Anatomicis obvia est horumce phœnomenum ratio.

In morbis inflammatoriis. Pleuritidis dolor acutus sedatur, aut saltem mitescit, varia corporis ad alterutrum latus positurâ. Inspiratio, solâ abdominalium musculorum, aut diaphragmatis actione, facta, aut elevatô solùm altero thoracis latere, dolorem mitigat. Ingravescente morbo, situs erectus, respiratio elevatô capite facta, miseris solatium præbet. Inflammatâ trachea arteria, sedens faciliùs respirat æger, *Ledran.* In faucium inflammationibus, miserè detorquetur caput, protenditur collum, prò variâ morbi sede, deglutitionis tempore. Undè in his posituris tot & tanta bona, docebit anatomia.

De exanthematicis, audias *Hoffmannum* (*d*) post diuturniorem erectum in lecto, vel extrà lectum, situm, evanescunt cum delirio & convulsionibus exanthemata.

Ex spasmodicis, in epilepsiâ præstat potiùs situm erectum tenere (*d*).

In morbis dispnoicis. Vix unquàm *incubus* accidit in latus decumbentibus, *Lommius.* Erectô corpore, rectâque cervice spiritum trahens asthmaticus, suffocationis avertit periculum. A situ horizontali exacerbat spiritûs difficultas, mitescit ab erecto, apud hydrothoracicos [Illustriss. Professor.] Empyicos, qui anxiâ corporis jactatione, solatium in variis posituris, vix reperiendum quærunt.

In morbis syncopalibus. Notum est efficacissimum in horisontali situ, adversùs syncopes, lypothimias, haberi remedium.

In morbis dolorificis. In colicâ, peculiaris est corporis in ventrem positura, extrà quam dolor ingravescit. arthritici, rheumatici, multô molimine, in artuum commodo situ, solamen quærunt. Ex calculosis alii recti, alii supini vesicam deponunt; quidam inclinati, aut colem contrectando, malum leniunt, *Lommius.* Tandem in evacuatoriis morbis, quies primum medicamentum.

Ex his posituris, plures monstravit natura, cætera invenit ars. Surdos, ore

(*a*) Enterocelem ad utrumque inguen decubitu aliquandiù protracto, & adstringentium usu externo, sanatum vidi apud Chirurg. alumnum.

(*b*) Mém. de l'Acad. tom. 2.

(*c*) Ibid. tom. 3.

(*d*) Hoffm. tom. 1. sect. 1. cap. 8.

(*e*) Ibid. de Epilepf. tom. 3.

hiante, ſonos excipere, natura; exesô epiglotidis altero latere, inclinato capite versùs latus oppoſitum, abſque tuſſi deglutire quemdam docuit *Petitus*; palato fiſſô, clauſis naribus, *Boerhavius.* Horum autem, aut ſaltem plurium, rationem præbet corporis anatomica cognitio, viſcerum ſitus, motus, nexus, muſculorum antagoniſmus.

Quoad ſecundum, dicimus, circà variæ poſituræ præſagia, vix quidquam omiſiſſe *Hippocr.* in cujus verba juraſſe numquàm pœniteat. Hæc autem habet in prognoſticis paſſim. 1°. Is optimus cenſetur decubitus, qui bene valentium ſimilis eſt. 2°. Vires penitùs oppreſſas, vel jàm exhauſtas arguit prolapſus ad pedes, notantibus cum *Hippocr. Dureto, Kloekof* (*a*). 3°. Cerebri affecti ſignum eſt, ægrum provolvere ſe ad lecti margines, nùnc ſurgere, nùnc excidere; quod ſub obſcuro delirio ferè ſemper obſervabis. 4°. Ægrotum ſedere velle, in acutis, pulmonum arguit anguſtias. Decubitus in unum latus impoſſibilis, empyemata, abſceſſum alterius arguit. Cujuſcumque poſituræ inconſtantia, pulmonum infarctum, quandoquè mortem prænuntiat. 5°. Tandem in ventrem jacere, inaſſuetum partium hujus loci dolorem, aut delirium indicat. Sufficiat generalia attigiſſe præ temporis anguſtiis. Sic enim, ſatis indicavimus.

Quænam ſint in diverſis morbis, diverſæ corporis poſituræ commoda, & præſagia, ſaltem generalia, indè eruenda.

QUÆSTIO SEPTIMA.

EXACERBATIONUM, acceſſuumque febrilium theorias, ſaltem præcipuas, hiſtoriæ fide propoſitas, æquâ judicii clinici lance perpendendo, determinare quænam ex illis obſervationi magis minùs-ve conſona ſit, & quænam magis vel minùs utilis, aut noxia?

FEBRIS, quam in calore præternaturali, à bile & pituitâ incaleſcentibus, veteres cum Hipp. (*b*); in frequentia pulsûs cùm functionum læſione, quidam ex neotericis; in aucto virium vitalium gradu relativè

(*a*) Duret in coac. Kloekof. opuſc. med.
(*b*) De Febrib. cap. 7.

ad musculares, alii, in intermittentem & continuam scinditur, quæ posterior suas quoquè patitur exacerbationes. Mirum certè quot sibi finxerint theorias tùm veteres, tùm recentiores Medici, quibus exacerbationum, accessuumque febrilium regulares periodos explicarent.

Veteres febris continuæ fomitem in vasis majoribus, inter alas & inguina sitis, collocabant. Ast harum, quæ, pari semper impetû, cor exercent, materiem in venis cordi proximis; cæteræ verò quæ excandescunt in venis aliquantùm disjunctis, è quibus putredo in cor assiduò ferri nequit, habere arbitrabantur [*Fernelius*] (*a*). Hic autem febrium intermittentium causam, circà præcordia adhærescere credidit, quæ prò vario putredinis aut mobilitatis gradu, diversis periodis excandesceret, usquè dùm id quod è foco excussum est, calore crematum, dissiparetur, aut in sudores abiret (*b*). Eadem ferè scribit post *Fernelium*, *Sennertus* (*c*) qui morbi fomitem in mezaraicis; materiam in pituita, bile, melancholiâ; recursûs causam, in humoris naturâ & putredine quærebat, cœlestes tamen influentias penitùs non rejiciens.

Ex neotericis plures, materiam febrilem in cavitatibus & tubulis secretoriis primarum viarum, nidulari arbitrabantur, per vasa lactea, continuô aut periodicô fluxu, in sanguinis oceanum devehenda, quæ eâdem labe humores inficiat, inspisset. Hinc in vasis capillaribus hærens, circulationi obicem ponit, hujus organa ad vividiores, frequentiores oscillationes stimulat; quibus, solutâ obstructione, penitùs remittit accessus, si ex intermittentium genere sit, exacerbatio tantùm, si ex continuis, remanente semper difficili per vasa capillaria transitu. Ex *Sennerti*, & *Fernelii* opinionibus, videtur extructa hæc theoria, quam tueri videtur *Hoffmannus* (*d*) qui materiem salino-sulphuream à præcordiis ad nervorum originem delatam vult, quæ spasmodicum systematis nervosi & vasculosi insultum ciet, evacuatione materiei febrilis sedandum, reversurum tamen à simili causa.

Cel. *Wanswieten* (*e*) probabilius tantùm sibi videri statuit, febrium intermittentium causam in subtilissimo fluido nerveo, vasis illud continentibus, aut *Encephalo* hærere, quæ determinatô tempore, in actum deducatur; nec ad hoc necessarium esse fomitem in quo causa actuans colligatur, alternis aut singulis diebus exacerbationes aut accessus movens. Febrîs enim recursûs periodici causam, se penitùs ignorare fatetur cum *Sydenhamio* (*f*). Huic pariter suffragantut *Stahliani* qui febrem definiunt naturæ conamen, materiem morbificam, proportionatis secretionibus & excretionibus, removere satagentis; sic *Junc-*

(*a*) De Febrib. cap. 11.
(*b*) Fernel. cap. 9.
(*c*) Lib. 22. de Febribus cap. 17.
(*d*) Thes. path. dè feb. ter.
(*e*) Comm. in Boerh. §. 757.
(*f*) Sidh. cap. 5.

kerus

kerus (*a*), de periodicæ intermiſſionis causâ non ſolliciti.

Hæ præcipuæ mihi videntur exacerbationum, acceſſuumque febrilium theoriæ, hiſtoriæ fide, conſignatæ. Dùm autem æquâ ponderantur judicii clinici lance, ità minùs obſervationi conſonæ deprehenduntur, ut & noxiæ & inutiles conſendæ ſint. Fictitia enim ex omni parte videntur, quæ de morbi ſede, de materiei morbificæ motibus, hujus in ſanguinem tranſitu, proferunt viri de cæterò præſtantiſſimi. Quâ enim obſervatione hæc innititur theoria? Undenam hæc virtus inſpiſſans? Quomodò renovari poteſt jàm expulſa materies morbifica, ut novum inſultum cieat? Latet-ne ſemper in primis viis morbi cauſa? In locis à primis viis diſſitis quandoquè tragœdiam agit materies morbifica, ſub primo morbi inſultu; ante acceſſum, nè vel minima in primis viis ſui præbet indicia febris: & quare vomitus, diarrhæas, materiei febrilis aggeſtioni, aut in ſanguinem tranſitui potiùs tribuas, quàm illius ex ſanguine excretioni, quod magis videtur probabile?

Obſervationi, & naturæ magis congruere videtur hujus phœnomeni theoria, quam conſignavit author anonymus, ſed peritiſſimus, in eximio tract. *de recond. feb. intermitt. & remitt; naturâ.* Hæc enim ſcribit; diffundi per omnes corporis partes materiem in corpore genitam, aut aliundè advectam, hepati potiſſimùm infeſtam, quæ actuata quôvis ſtimulo, illius viſceris textum & nervos vellicare, & totum corpus commovere poſſit. Ut autem periodorum cauſam aſſignet, innumeris exemplis probat, varias animantium partes certis ſubjici legibus. Quilibet poteſt famem, ſomnum, excretiones certis circumſcribere terminis; quare & materies febrilis in hepate collecta, certis temporibus ſtrages ſuas non ederet?

Huic, quôdam modo adſtipulari videtur Illuſt. Auth. *novi Medic conſpect.* qui, veterum more, de ſummâ & exquiſitâ partium epigaſtricarum ſenſibilitate, & earum in totum corpus influxû, mira certè profert, quibus apprimè dilucidatur, febrium exacerbantium & intermittentium theoria. Etenim dùm ex pravo rerum non naturalium uſu, invertitur ventriculi tonus hujuſque ſenſibilitas, gravantur & quaſi infeſtantur nervi epigaſtrici; hìnc functionum læſio, nervorum irritatio, virium corpois concentratio (*b*), aliaque febrîs phœnomena, cujus acceſſus rectè equidem non-nullis (*c*), digeſtionis opus mentiri viſus eſt. Sic etiam inſultuum periodos, quantùm humanæ menti licet, aſſequi poteſt qui organorum ſenſibilitatem, mobilitatem ritè inveſtigare potuit. Quis enim neſcit ſtatis temporibus, imò & horis, periodicas con-

(*a*) Tab. 56. de Febrib.
(*b*) Theſ. de Fibræ nat. virib. & morbis D. D. Fouquet.
(*c*) D. D. Bordeu, Theſ. an omnes organicæ partes, &c.

tingere evacuationes, quem rithmum servent menstrualis & hæmorroïdalis fluxus? (a) nonnè eadem causa quæ rhumatismi, epilepsiæ, podagræ periodos disponit, dirigit, eadem febriles insultus alternare valet (b)? Ex his liceat.

Exacerbationum accessuumque in febribus theorias, saltem præcipuas, historiæ fide propositas, æquâ judicii clinici lance ponderando, determinare quænam ex illis observationi magis vel minùs consona sit, & quænam magis minusvè inutilis, aut noxia.

QUESTIO OCTAVA.

An Idiosyncrasiæ, consuetudinis desuetudinisque naturæ in functionum exercitio, singularium tandem appetituum, in morborum decursu, qnandoquè supervenientium, rationem habere sedulam, Medico per-quàm utile sit, imò & necessarium?

Omnibus *ægris eadem non conveniunt auxilia*, aït *Celsus* (c). Aliâ methodo, diversis auxiliis, majoribus opus esse cautelis, prò variâ ægri idiosyncrasiâ, consuetudine, desuetudineque naturæ, in functionum exercitio & singulari appetitu, quotidiana docet observatio. Et quidem 1o. Utile est, imò & necessarium in præscribendâ diætâ, in administrandis auxiliis, quæ vel pharmacia suppeditat, aut chirurgia, solidorum & fluidorum statûs, sedulam habere rationem. Toto cœlo distant in rustico & muliercula, in puero & in sene, corporis textura, sensibilitas; cuilibet ætati, temperamento singularis est pulsus; mobilissimum habet genus nerveum mulier histerica, vir hipochondriacus; biliosis fervet quasi totum corpus; languent functiones apud phlegmaticos, quæ cum quâdam alacritate à sanguineis exercentur. Stricti autem & laxi à Methodicis proposita doctrina, à Clinicis probè intellecta; fluidorum spissitudo, dissolutio, acrimonia suis signis cognita, omnem adimplent paginam.

Quantum autem lucis in therapeïa spargat, singularis cujusque idio-

(a) Bordeu, recher. anat. sur les glandes.
(b) Auth. anonym. de recond. febr. &c.
(c) Lib. 3. cap. 1.

syncrasiæ cognitio, quis non videt? Hâc enim perspectâ, clariùs eluceffit signorum doctrina, maximè verò auxiliorum selectus. Hìnc facilè habemus quare apud sanguineos, biliosos, mira præstet venæ sectio, quæ histericis spasticas vasorum stricturas auget, malum irritat; quare cathartica ex drasticorum familiâ, rusticis quandoquè alvum vix moveant, dùm ex mitioribus benignissima, mulierculas mirè perturbant; quare sua cuique debeat componi diæta, his demulcens, aliis parùm tonica. Singulis enim sua sunt emetica, cathartica, cardiaca, aliaque auxilia; peculiaris in præparando, in exhibendo methodus; nùnc cardiaca catharticis maritanda sunt, nùnc cum narcoticis adhibenda. Quid plura proferam?

2°. Consuetudo & desuetudo altera est natura. Cùm igitur ex *Hippocrate*, *Medicus naturæ minister sit*, varios illius motus, etsi primâ fronte inordinati, imò & noxii videantur, sollicitè perscrutari debet, ut fidam signorum doctrinam sibi comparare possit, & therapeïæ errores præcavere. Nullum, v. g. periculum intentant excretiones quædam, ut vomitus, diarrhææ, hæmorragiæ, si sint familiares & assuetæ. Hæc dicta sint de pluribus aliis.

Ast in prognosticis, summi quidem momenti est, consuetudinis desuetudinisque ratio. Et 1°. Quidem in prædicendis ex pulsu crisibus, illius naturales anomaliæ, notante D. D. *Bordeu*, præ oculis semper habendæ sunt; facilè enim Clinicum decipiet pulsûs intermittentia, si prò signo critico, aut prognostico, apud assuetos hunc habuerit. 2°. Etsi ore hiante dormiat quidam, non commissis palpebris, cum stertore spiritum ducat, respiratio difficilis sit, singultus observetur, malè decumbat, si hæc ex consuetudine fiant, mali non sunt ominis.

In præscribendâ diætâ de his maximè sis sollicitus. Voraces enim tibi nutriendi magis sunt; delicatuli, parciori cibo assuefacti, minùs: & inter hos, quidam acida appetunt, alios aquosi potus delectant. Imò ex *Hipp.* (*a*) *Prava victûs ratio, modò assueta, plus confert, quàm melior & inassueta.* Rem illustrare videtur historia singularis à celeb. D. D. *Bordeu* relata (*b*) Pueri qui, rusticorum more, enutritus, optimâ fruebatur valetudine; ast inter epulas, vix annô elapso, occubuit scropholosus. Vino dediti, liquoribus ardentibus assuefacti, exsolutis viribus, collabascunt, si solus aquæ potus his concedatur; vini pauxillum sinas, illicò refocillantur. Ebrioso phrenitico vini usum interdicebat Medicus, ingravescebat phrenitis, quæ iterùm mitior fiebat, restitutô hujus liquoris, etsi dilutissimi, usu. Idem post assumptam potionem cathartico-emeticam, vinum è dolio liberaliùs hausit, absquè sensibili phrenitidis incremento.

(*a*) De rat. vict. in acut. sect. IV.
(*b*) Prix de l'Academ. de Chir. vol. 3. ou Dissert, sur les écroüelles.

Quoad medicaminum administrationem ; hæc omnibus nota sunt ; assueta parùm proficere. De opio præsertìm istud verum est. Quis nescit vini generosi, coffeæ potum, leves stomachi affectus fugare ; assuetis inutilem esse Medicinam ? uno verbo, vim naturæ intuleris, si à consuetis removeas, vel ad inassueta compellas.

3o. Quoad appetitum, responsum præbet *Hipp.* (*a*) *Cibus & potus paulò pejor, suavior tamen, melioribus quidem, sed minùs gratis anteponendus.* Neminem enim latet quàm sæpiùs, post diuturnam diætam, profuerit, à tenui victûs ratione recedere, naturâ absurda suadente, modò, propriâ substantiâ, non sint noxia, aut naturæ morbi directè opposita. Absurdô enim appetitu, ventriculi *atoniam* avertere, quandoquè studet propria hujus sensibilitas. (*b*) Hoc fine, carbonum, cretæ, terreorum desiderium apud chloroticas excitat. Nec certè in his errat natura, sed Medicus qui naturæ fines non assequitur. Hâc igitur regulâ hippocraticâ edocti, utile & necessarium credimus, quandoquè ægris minùs salubria concedere quæ avidè appetunt. Ex his concludere pronum est.

Idiosyncrasiæ, consuetudinis desuetudinisque naturæ in functionum exercitio, singularium tandem appetituum, in morborum decursu, quandoquè supervenientium, rationem habere sedulam, Medico per-quàm utile esse, imò & necessarium.

QUÆSTIO NONA.

An nova pulsuum methodus Solaniana, *ulterioribus detectis amplificata, adeò magna prò praxi medicâ promittat, & quidem eâ saltem probabilitate, ut ingenuo Medico non liceat hanc intentatam prætermittere ?*

DUo proponuntur in hacce quæstione, solvenda problemata. 1o. An magna realiter, prò praxi medicâ, promittat nova pulsuum methodus, præscindendo à promissi veracitate ? 2o. An magnum quid & utile reverà præstet hæc methodus, & quônam certitudinis gradu, eius promissis confidere liceat?

(*a*) Aph. 38. sect. 2.
(*b*) Thes. aliquot. de sensib. & contract. part. D. D. Francisci Bordeu.

Bina

Bina hæcce problemata aggressurus, pulsuum naturam & differentias tùm in statu sano, pro variis ætatis, sexûs, temperamenti, conditionibus, tùm in statu morboso, quoad illorum ordinem, rithmum, species, ex *Galeni* mente, aut novâ pulsuum methodo delineare, neutiquàm suscipiam. Disquisitionem historicam circà morem judicium statuendi therapeuticum ex pulsûs exploratione, lubens etiàm silentio premam: hæc tantùm breviter narrans, hanc *Hippocrati* (*a*) fuisse notam, sed ad *Galeni* (*b*) usquè tempora, minùs fuisse adhibitam, etsi jàm in ordinem digessisset, & quidem in his nimius, *Herophilus*, notante *Plinio* (*c*), & plura habuisset *Celsus* (*d*), sed ut de methodo minùs fidâ & parùm usitatâ; posterioribus tamen sæculis pulsûs explorationem factam fuisse Medicis verum morborum lapidem lydium; circà hanc methodum mira perhiberi de sinensium peritiâ (*e*); & tandem hoc nostro sæculo, prima novæ doctrinæ fundamenta jecisse *Solano* (*f*); quamplurimis ditasse observationibus, clar. *Nihell.* (*g*); Gallicè promulgasse & illustrasse hujusce Universitatis Doct. Cl. *Lavirotte* (*h*); ex gallico latinè reddidisse *Willelmum Noorthwick* (*i*); solanianam methodum in alium digessisse ordinem, amplificasse, novis inventis adornasse, innumeris firmasse observationibus, verbo, ex hâc novam artem condidisse Celeb. D. D. *de Bordeu* (*k*); Ex hoc, *Solano-Bordevianam* methodum novas vires in dies acquirere; hujus veritatem paucis ab hinc comprobasse & suis locupletasse observationibus Doctorem nostrum D. D. *Michel* (*l*), & novissimè paris. Medicum D. D. *Le Camus*, (*m*).

Hæc autem sic prælibasse sit satis, nè vanum & inutile præloquium sapiat prolixior disquisitio. Authores nominasse suffecerit, exscripsisse tædiosum & inutile.

Ut igitur propositæ quæstioni directè respondeam, quoad primum problema, animadvertendum est, quod, etsi Clinici unâ voce conclament pulsum sibi esse veram praxeos cynosuram, attamen quàm parùm lucis spargat vetus pulsuum theoria, quàm parùm cauta, quàm infida in certis quibusdam, sed gravissimis quidem circumstantiis, fateantur, ne-

(*a*) Sect. 4. lib. de alim. coac. præn. 138. & sect. 7. epidem. lib. 2.
(*b*) De pulf. gener. & differ.
(*c*) Lib. 29. cap. 1.
(*d*) Lib. 3. cap. 6.
(*e*) Barchus. de Med. orig. & præg.
(*f*) Lib. cui tit. lap. lyd. apolli
(*g*) Nov. obs. circà cris. præd.
(*h*) Obs, nouv. & extr. sur la pred. des Crises.
(*i*) Novæ observ.
(*k*) Recherches sur le pouls.
(*l*) Nouvell. observ. sur le pouls.
(*m*) Mém. sur divers sujets de Médecine.

cesse sit: Namquè, v. g., prò omnibus sit sequens animadversio. Pulsus celer, frequens, magnus, per solas hasce qualitates consideratus, & nullâ habitâ ratione ad caracterem suum vel acriticum, vel criticum, febrîs intensissimæ signum habetur, omni artis molimine sedandæ; ast, sub certo morbi stadio, salutare naturæ molimen arguit, non refrænandum, nisi cum malis ægri rebus.

Sed missâ omni censurâ, quam acriter satis persequuntur Clar Fr. *Hoffman* (*a*) & *de Bordeu* (*b*), si æquâ lance librentur veteris doctrinæ emolumenta, cum iis quæ praxi Medicæ promittit Bordevianum potissimùm dogma, hæc ultima adeò cæteris præstant, ut huic solùm assensum denegare audeat invidia novis semper infensissima, etsi momentosis, inventionibus.

Stupenda enim praxi clinicæ spondet Bordeviana methodus, quibus ab *Michel* (*c*) & *Le Camus* (*d*) recensitis addimus, morborum tempora, ex vulgatâ divisione, in initium, statum, & declinationem, sivè per dierum numeros æstimata, nullô certo ordine circumscripta, infidis manifestata signis, evidentissimis ex novo criterio, certissimis concludi cancellis (*e*), & cum illo morbos qui sub convalescentiæ cujusdam speciè larvati inducias simulant, non ità sæpè Medicum delusuros.

Cui igitur ingenuo Medico liceat hanc intentatam prætermittere methodum, quæ tot & tanta arti clinicæ spondet? non huic certè quibus artis progressus & perfectio cordi est, nisi severissimis demonstrationis legibus tanti promissi vanitas, impossibilitas, aut tentandi periculum comprobata fuerint. Nec dicatur hanc pulsuum methodum pluribus ab hinc annis promulgatam, à paucissimis adhùc admitti. Quem enim latet circulationem sanguinis, infensissimam habuisse per-celebrem Medicorum scholam; hanc eamdem, chymiam diù despexisse; emetica antimonialia, quibus efficaciora nulla habemus medicamenta, infamasse?

Nos igitur majorum erroribus edocti, dicimus, 1°. Novam hanc doctrinam, dùm observationibus suffulta prodit, nullo ùnquàm evertendam ratiocinio, minùs adhùc scurrilibus jocis, sed observationibus tantùm verè contradictoriis. 2°. Nullas esse indicatas difficultates; nec necessariò nobis denegatam credimus sinensium sagacitatem, de quâ stupenda perhiberi non

(*a*) Med. rat. tom. 3. sect. 1, cap. 12. de ration. puls. explic. §. 1. 4.

(*b*) Recherch. sur le pouls, pref. & chap. 2.

(*c*) Voy. la pref. pag. 6 & 7.

(*d*) Mem. sur le pouls. Avec une telle doctrine, le prognostic dans les maladies doit être plus certain, le traitement plus éclairé & plus sûr, le tems pour placer les remedes plus determiné, la qualité des médicamens à employer plus décidée, la route que choisit la nature pour se débarrasser plus connuë.

(*e*) Tempus irritationis, coctionis, solutionis probè intellectum, magnam affert in praxi utilitatem.

ignoramus, cùm potiùs hæc ipsa animum irritent; ſique vana, talia tentando, commenta inſectati fuerimus, non ideò inutilia hæc tentamina cenſemus; Sub his enim amplificatur habitus artificis, illique pulcherrima laus quod eximia ſui ſæculi detecta, omni ope annixus ſit propriâ experientiâ comprobare; nec ideò damnandam credas, quod medicaminum adminiſtrationem plerumquè inhibeat; nefariam enim eſſe in plurimis caſibus feſtinationem, nemo neſcit. Exercitatiſſimis enim practicis, artis principibus ſolis licet hæc intentata prætermittere, qui longô uſu, felici experientiâ edocti, ſingularem ſibimetipſis, ex veterum doctrinâ, comparavere pulſuum theoriam.

Igitur, quoad præſens ſolvendum problema, non proprium noſtrum judicium, ſed demonſtrationem logicam proponentes, concludimus cum Cel. *Van-ſwieten*, (*a*) *meretur rei dignitas, ut ab omnibus qui Medicinæ operam dant exploretur.*

Quoad ſecundum, an ſcilicèt magnum quid & utile reverà præſtet hæc methodus, quod propriæ experientiæ aſſenſum ſupponit, dicimus cum hâc tamen, qualem nos decet, modeſtiâ, 1o. Illam quam primâ fronte præ ſe fert difficultatem, inexpertos ſolùm deterrere. 2°. Hujus veritatem, innumeris comprobatam eſſe obſervationibus feliciſſimorum practicorum. Pulſum intermittentem, diarrhæam prænuntiare obſervabat hujuſce lycæi Prof. (*b*) & ut alios prætermittam, brevitati conſulens, promiſſi veritatem ſpondet juniorum artificum ſedula & fauſta obſervatio, ad quos novæ cujuſcumque doctrinæ pertinet judicium, ex recentioris philoſophi animadverſione, inter quos hujuſce Univerſitatis Doctorem egreg. (*c*) laudare decet, multos que non ultimæ notæ Medicinæ alumnos, qui & ipſi, viam monſtrante Doctore mox citatô, ſæpiùs in Nozocomio Monſpelienſi experti ſunt. Et quia apud Urbaniſſ. Antag. & propriis obſervationibus locus, me pluries cum jàm laud. Doctore, hujus methodi utilitatem comprobaſſe dicam. Non aliundè habeo quod fidem denegem Illuſtriſſ. *Solano*, *Nihell*, *Bordeu*, *Michel*, *Le Camus*, qui ex profeſſò de hujus methodi ſtupendâ felicitate ſcripſere; & plenô aſſenſu admittendum cenſeo, Illuſtriſſ. Archiatrorum Comitis (*d*) verè decretorium udicium.

Cùm igitur momentoſa hæc argumenta, obſervationibus ſolùm ex profeſſo inſtitutis, dirimi poſſint, cùmque vana & illegitima ſint, quæ dversùs hanc methodum hucuſquè prolatà fuêre, non certè temerariô

(*a*) Comm. in Boerv. aph. tom. 2. §. 587.
(*b*) Vid. Semeioſ. manuſc. D. D. de Lamure.
(*c*) D. D. Fouquet, cum quo apud ægros charitatis, ſolâ pulſus exploratione mira equidem, circà diverſos morborum eventus, definiri poſſe comprobavimus.
(*d*) Bordeu pref.

ausu, tyronibus spondeo, hâc novâ pulsuum methodo artem illustrari, amplificari, in immensum ditari. Hinc affirmativè concluditur

Novam pulsuum methodum SOLANIANAM, *ulterioribus detectis amplificatam, adeò magna prò praxi Medicâ promittere, & eâ quidem probabilitate, ut ingenuo Medico non liceat hanc intentatam prætermittere.*

QUÆSTIO DECIMA

An inter Medicinas leviorum valetudinum benignissimas, acutorum maximè heroïcas simulque tutissimas, constituendus sit tartarus emeticus?

DELETERIAM vim antimonio inesse, crediderunt majores nostri, & tanquàm toxicum machinæ humanæ infensissimum proscripserunt, nescio quô fatô. Inter auxilia enim pharmaceutica, contradicente ferè nemine, benignissimum, præstantissimum, tutissimum est medicamentum, tartarus emeticus, variis sexûs, ætatis, temperamenti conditionibus accommodatissimum, adversùs morbos acutos maximè efficacissimum, à catharticis nunquàm supplendum. Sed hujus medicaminis utilitatem, præstantiam olìm celebravit, post *Paracelsum*, *Mathiolum*, *Angelus Sala* (*a*), qui de vitro antimonii stupenda narrat. Igitur ad propositam quæstionem specialiùs accedentes, dicimus, 1o. Inter medicinas leviorum valetudinum benignissimas, sed simùl efficacissimas, constituendum esse tartarum emeticum. Hujus assertionis veritatem illustrat sequens animadversio. Ex iis qui tartaro emetico magis sunt infensi, omnes quidem, ne uno exceptô, fatentur benignissimam, tutissimam esse emesim ab oleosis, aquæ tepidæ potu, à faucium titillatione, imò qui in leviori valetudine operosis conaminibus hanc non promoveat, solo tartari emetici nomine perterriti. Hæc observant quotidiè Practici. Quis tamen diversam dixerit vomitûs actionem, sivè sit ab aquâ, sivè à tartaro emetico? Nonnè iisdem potentiis utrumque natura molitur? An noxium ideò quis credat, quod in ventriculi tunicas actionem suam exerat?

Linguæ tamen applicatus, licet exquisitissimo sensu præditæ, nullum irritationis sensum imprimit; & insuper, sedatô vomitu quem ciet, nullus doloris aut molestiæ sensus remanet; placidus enim somnus spontè obrepit,

(*a*) Part. 2. Anat. antim. sect. 2. cap. 1. & emetol. cap. 1.

totum corpus levius, alacrius fit. Benigniſſimam igitur præſtat medicinam tartarus emeticus, ſimplici, levi, inſenſili titillatione vomitum promovet, nulla ſuæ actionis veſtigia relinquens. Hinc adverſùs leviores valetudines, coctionem læſam à nimia ciborum ingurgitatione, febres à crapulâ, inappetentiam, ſimileſque hujuſmodi affectus, vulgò *indiſpoſitions, indigeſtions*, quaſi ſpecificum habetur; hos enim in ipſis quaſi incunabulis præfocat.

Dicimus 2o. Tartarum emeticum inter heroïcas acutorum medicinas eſſe conſtituendum; Sivè enim in ventriculo, aut in locis ſummè diſſitis adhæreat morbi cauſa, energiam emeſis non effugiet. Sub ipsâ enim emetici actione, levi ſtimulô ſollicitatus ventriculus, collectis quaſi viribus, noxios humores ejicit, viſcera vicina commovet; hinc ſtupenda ſympathiâ, totum corpus ſuccutit, obſtructiones, ſpaſmos ſolvit; in morbis ſoporoſis, ſenſus ſtimulat; in exanthematicis eruptionem promovet; in inflammationibus pectoris ſymptomaticis, reſtituit liberam humorum circulationem, ſputum ſanguinis ſupprimit; in febribus putridis, malignis, verminoſis, quaſi ſpecificum videtur auxilium. Quid plura referam? Simùl ac tragœdiam peregit, evaneſcunt pleraque ſymptomata, aut ſaltèm miteſcunt; natura à materie morbificâ priùs obruta, nùnc vegeta magis, ad opus ſe accingit, critica molimina ipſamque criſim diſponit, dirigit, præparat.

Dicimus 3o. Tartarum emeticum tutiſſimam eſſe in acutis Medicinam. Sub diverſo cœlo, variis anni temporibus, cuilibet ætati, ſexui, temperamento accommodatiſſimum præbet auxilium; modò cauta & perita manus ſubminiſtraverit; delicatulis enim, pueris, infantibus, imò & ipſis lactantibus, abſquè periculo exhibetur. Et quidem prægnantes, annotante *Ang. Sala* (a), non uſquè adeò validæ, aſſumptum cibum quotidiè evomunt, nil quidquàm detrimenti, aut corporis, aut fœtus, imò multum potiùs emolumenti, ad facilem & ſalubriorem partum, ex hoc ſentiunt. Sed cùm quæſtio potiſſimùm inſtituatur de acutis, & in his tutiſſimum eſſe dicimus; namquè ea ſolùm in his morbis præſtant auxilia quæ naturæ motus dirigunt, ſtimulant, frænant. Aſt nullum in his præſtandis efficacius habemus tartarô emeticо; nullam enim intentat perniciem, cum potiùs amica naturæ ſint hæc conamina, quæ ſub ipſo vomitu, machinam quaſi ſubvertunt. Sic organa ſua ſollicitat, ad molimina critica diſponit, criſium vias expedit, materiei morbificæ coctionem, ſolutionem properat; quæ commoda, de aliis auxiliis, ſub acutorum initio, vulgò adhibitis, expectari non debent. ſæpiùs enim naturæ ordinem invertunt, illius ſalutares conatus infringunt; hinc quot

(a) Emetolog. cap. 1.

anomaliæ, ex intempestiva medicaminum exhibitione, oriuntur. Ex his concludimus,

Inter Medicinas leviorum valetudinum benignissimas, acutorum maximè heroïcas, simùlque tutissimas, constituendum esse tartarum emeticum.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An febrium putridarum causa materialis, omnis in primâ corporis regione sedeat? An etiam partìm in circulationis alveo? An adversùs hanc posteriorem (si modo reipsâ detur) valeant cathartica?

FEBRIS putrida, *synochus putris*, est febrîs species, quæ ad secundam tertiamvè hebdomadam excurrit, cum summo symptomatum apparatu qui succorum pravæ indolis turgescentiam, in primâ corporis regione, arguit, & variâ virium tùm vitalium, tùm muscularium læsione. Circà febrîs hujusce causam materialem, quæritur, 1°. An in primâ corporis regione sedeat? An partìm in sanguinis alveo? 2°. An adversùs hanc posteriorem valeant cathartica?

Quoad primum, febrîs putridæ causam materialem in primis viis potissimùm hærere, unô ore conclamant practici; nec aliud suadere videntur symptomata quæ hunc morbum prænuntiant, vel ea quæ cum primo morbi insultû ingruunt, aut sub morbi solutione observantur; Neutra enìm corporis prætergreditur constitutio [ait *Fernelius*], (*a*) excrementa præter consuetudinem succrescunt, appetitus languet, gravatur totum corpus. Ast præprimis talem materiei putridæ, in primis viis turgescentiam arguunt, oris fœtor mephiticus, crusta glutinosa, flava aut nigra, os internum, linguam, dentes obducens; nauseæ, vomitus, diarrheæ potissimùm quæ cum morbo ingruunt, aut criticè morbum sæpiùs solvunt.

Verùm non ità evidentibus signis dignoscitur, an simili labe inficiantur humores in sanguinis alveo. Febrem putridam ab evacuationibus suppressis, hæmorrhoïdali aut menstruo sanguinis fluxu, v. g. aut à cohibitâ perspiratione, pendere à peculiari, sed vix determinandâ, humo-

(*a*) Lib. de feb. cap. 7.

rum labe, probabile est. Simile quid in aliis febrium speciebus, videntur arguere quædam febris putridæ symptomata; corporis scilicèt gravitas, artuum dolores, variarum partium inflammatio, crustæ quæ labia quandoquè infestant, sudoris aut perspirationis graveolentia; imò, quod certius indicium est, sudores critici quibus aliquandò solvitur morbus. Ast quomodò, & quô vitio inquinetur sanguis in hisce febribus? An pravi succi in primis viis stabulantes, in sanguinis oceanum, per vasa lactea, devehuntur cum chilo quem inspissant? Ast si hæc ità sint, quomodò chilus jàm inspissatus, lacteorum orificia subire poterit? Et quare in sanguinem semel admissus, totam humorum molem eâdem labe non inficit, sed ad certa quasi loca specialiùs deflectit, viscera potissimùm infestare amet? Undenam subitæ illæ anomaliæ in decursu febrîs putridæ supervenientes? Quare, præcipiti quasi lapsû, à capite in pectus ruit, periculosâ quandoquè metastasi, materies febrilis? Pollet nè virtute inspissandi specificatâ. Hæc & alia quæ fusiùs persequitur Illust. Auth. anonymus *(a)*, rem saltèm dubiam reddunt.

Quidquid de illis sit, hoc videtur probatum, causam materialem omnem febrium putridarum, partìm in primâ corporis regione, partìm in sanguinis alveo sedere.

Quoad secundum, dicimus cathartica, tempore opportuno exhibita, valere adversùs febrem putridam, cujus causa materialis partìm in sanguinis alveo latitat. Ex phœnomenis enim, quæ sub ipsâ cathartici actione observantur, manifestum est, medicamenta hæc effectus suos in sanguinem exerere. Equidem pulsus frequentior fit, major diffunditur per corpus calor; irritatâ enim tubâ intestinali, succutitur etiam tota machina, vasa vividiùs oscillant, major sanguinis copia ad secretoria illius loci vasa appellit, major fit excretio, brevi sudores erumpunt. Hæc autem omnia sanguinis depurationi favent. An ideò cathartica, in sanguinis oceanum delabi credenda sunt? An ideò lac nutricum virtute catharticâ pollet, quod hujusmodi medicamenti particulis priùs intrò assumpti fuit imprægnatum? Desunt, quod credo, argumenta quæ omne dubium circà hæc problemata tollant. Quidquid tamen de illis sit, certum est ex jàm dictis, cathartica in sanguinem effectus suos exerere. Undè videtur posse concludi,

Febrium putridarum causam materialem omnem, in primâ corporis regione, non sedere, sed partìm in circulationis alveo; & adversùs hanc posteriorem (quæ reipsâ datur) valere cathartica.

(a) Idée de l'Homme physique & moral.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An in paralysi & gangræna inferiorum, spinæ dorsi vulneris vexationisvè consectariis, absquè luxatione in parte vertebrarum læsarum aut ossis sacri postica, Chirurgia quædam cranii terebrationi analoga tentari possit, nec-nè? & posito quod affirmativè concludatur, quâ ratione institui debeat exponere.

INTRA canalem vertebrarum osseum protenditur cerebri meditullium, communibus cranii membranis obvolutum, sub nomine spinalis medullæ; ex hâc oriuntur potissimùm nervi extremis artubus prospicientes, brachiales scilicèt, crurales & ischiatici.

Læsâ aut vexatâ quôcumque modo medulla spinali, sivè à fractis vertebris aut validâ commotione, illicò cessat motus & sensus partium vulneri inferiorum, fit paralysis quam, presso pede, sequitur atrophia, quandoquè gangræna.

Non desunt exempla stuporis & parylisis, à vexatâ aut collisâ spinali medullâ; gangrænam supervenire raró observatur. Hanc tamen inter hujusce affectûs symptomata annumerant celeb. *Platnerus* (*a*) *Heisterus* (*b*) *Petitus* (*c*); semel atque iterùm hanc observabit Clr. *Van-Swieten* (*d*): vir sexagenarius lapsû spinam dorsi in acuto lapidis angulo sic impinxit, ut ipso momento, corporis pars inferior careret sensû & motû; sextâ die gangræna plantam pedis utramque occupabat; septima die periit. Similem casum in juvene observabat.

Mortem instantem prænuntiant hæc symptomata; servari non possunt, ait *Celsus*, quibus percussa est medulla; miseris enim neque natura, neque ars unquàm profuit. Numquid ergò tentari potest operatio quædam, terebrationi cranii anologa? Toties faustum habuit hæc operatio exitum, quoties ossis fragmenta cerebrum lædentia auferre, sanguini

(*a*) Instit Chir. rat. §. 186 & 355.
(*b*) Chir. part. 1. lib. 1. cap. 1,
(*c*) Maladie des os, tom. 1. chap. 4.
(*d*) Tom. 1. de Vulner. in gen. §. 162.

aut puri effuſo exitum conciliare datum eſt. Quare in ſpinâ dorſi, imminente, ab iiſdem cauſis, inevitabilis fati periculo, non liceret hanc artem experiri? Videtur huic ſub-innuere *Ambr. Paræus* (*a*), dùm ait, vexatâ ſpinâ, fragmenta vertebrarum audacter, incisâ cute, eximantur, aut reponantur. Eadem ſuadet *Heiſterus* (*b*).

Verùm ſi nulla ſit fractura ſaltèm ſenſibilis, inferiorum tamen paralyſis & gangræna, medullæ compreſſionem arguant, quid præſtabit ars? Liceat mihi novam & rudem, aſt forsàn non inutilem proponere operationem, trepano analogam, ab artis magiſtris emendandam, abſolvendam, in tantis vitæ anguſtiis abſquè periculo tentandam; ſcilicet, incisâ cute, denudatis vertebris, derasô perioſteo, in utroque ſpinæ latere ad radicem tuberculorum cautiſſimâ manu ſecentur, ope ſerræ, (apud *Scultetum*, tab. VI. n. I. delineatæ) vertebræ, ad canalis uſquè interiora, cum hâc tamen cautelâ ut eò leviùs moveatur ſerra, quò altiùs penetraverit. his peractis, ablatô oſſe, cruciformi inciſione aperientur medullæ involucra, ut ſanguis, ſi effuſus ſit, abſtergi, & oſſis fragmenta eximi queant; Hæc autem aliaque, neceſſariò híc prætermittenda, iiſdem cautelis abſolves quæ in terebratioue cranii præſcribuntur. De his vid. *Ledran* (*c*).

Nec periculoſiſſimam, operoſiſſimam, impoſſibilem hanc operationem dixeris; artis enim magiſtris omni difficultate major induſtria. De cæterò nihil inevitabili morte operoſius. Anceps igitur melius eſt quàm nullum experiri remedium. Magis fortè quibuſdàm arrideat, ſi ſectis, forcipum ope, ſpinæ tuberculis, terebratio qualis in cranio inſtitutaur. Ex his concludere liceat,

In paralyſi & gangrænâ inferiorum, ſpinæ dorſi vulneris vexationiſve conſectariis, abſquè luxatione in parte vertebrarum aut oſſis ſacri poſticâ, chirurgiam, cranii terebrationi analogam, methodo jàm propoſitâ tentari poſſe.

(*a*) Des fract. liv. 15. ch. 13.
(*b*) *Ibid.* Part. 2. lib. 2. cap. 7.
(*c*) Trait. d'oper.

ERRATA.

Pag. 3. lin. 14. *Monroo*, leg. *Winslowius*.
Ibidem. lin; ult. anatomes, *leg*. anatome.
Eâdem lin. etsi, *leg*. et si.
Pag. 5, lin. 31. quæ *leg*. quos.
Pag. 11. lin. 8. syptomatum, *leg*. symptomatum.
Ibid. lin. 18. hermiarum, *leg*. herniarum.
Pag. 12. lin. 5. levi, *leg*. lævi.
Pag. 17. lin. 9 & 10. observatione, operata, *leg*. operatione, observata.
Pag. 18. lin. 2. nota rest. *leg*. nota res,
Pag. 19. lin. 17. ventrem, inassuetum, *leg*. ventrem inassuetum,
Ibid, ad not. (b) *Hippocr.* leg. *Fernel.* de Febrib. cap. 7.
Pag. 20. lin. 9. habere, *leg*. hærere.
Pag. 23. lin. 33. scropholosus *leg*. scrophulosus.